

solemni vocabulo *notiones partiales* nominemus, discernamus, vnamque ex alia contemplemur. Quod humanae mentis praesidium, si necessarium videtur vsquam, in Deo illuminate exploreteque peruestigando negligendum non erit. Hic animum decet ad cogitandas, quas tota Dei notio complectitur, singulas ideas, instituere, et proprietates diuinas, quas CVDWORTHVS¹ *notiones imperfectas et particulares vnius eiusdemque naturae Dei simplicissimae et perfectissimae* egregie dicit, distribute commentari. Quae noscendi Deum ratio cum longe facillima sit, mentisque nostrae naturae perquam accommodata, dolendum sane est, fuisse olim, atque etiamnunc esse, qui, ratione ista in fraudem malitiamque conuersa, turpiter alucinentur, atque in errores hoc grauioribus prolabantur, quo pateant latius, et ad ipsas vitae actiones manent. Nam quae cogitatione discernunt, ea vere secum differre rati, coagmentationem quandam virtutum dissolubilem in Deo effingunt, cum tamen vna tantum Dei sit et consentiens sibi in pluribus dotibus essentia. Quocirca summa est animi prouisio adhibenda, vt, tanquam scopulum, sic errorem istum fugiamus, quod quidem commode poterit fieri, si proprietates has diuinas assidue contendamus, et quam sint aptae ex se connexaeque, quam insit in iis nihil repugnans, consentanea omnia, studiose contueamur. Mirifice vero hic nos adiuuabit earum virtutum commentatio, quae adeo non possunt a reliquis diuelli, vt non sint ipsae per se singulares proprietates, sed communes, et reliquas communi vinculo contineant. Quarum in numero habetur etiam *vita*, excellentissima Dei virtus, cuius explicatio ad venerabundam numinis notitiam pulcherrima merito censetur. Quantum ea momenti habeat, LAMPE² scienter ac perite tradidit in hanc sententiam. *Vita adeo necessario Deo conuenit, vt omnium eius aliarum perfectionum fundamentum sit. Qui enim vitam tolleret, ille intellectum et voluntatem tolleret. Et qui tolleret vitam perfectissimam, ille omnem tolleret omniscientiam et omnipotentiam.* Equidem quotiescunque de ea cogito, demiror, quid sit, cur, cum nostra aetate multi studio atque doctrina praestantissimi viri ad inuestigandam numinis naturam totos se contulerint, vitam eius vel praetermittant omnino, vel breuius exponant. Forte quae BILFINGERO strictim eius attingendae causa fuit, ea fuerunt etiam alii ducti. Commemorat enim ille,³ longiori interpretatione

1) in *System. Intellect.* p. 787

2) *Comment. in Ioann.* Tom. II. p. 67

3) *Dilucidat. de Deo, anima et mundo* §. 455